

eo, quem Porsonus *Ayscough* 4952 appellavit: congruit saltem numerorum notatio.

*Harl.* 5724, item chartaceus, saeculi xv, Hecubam complectitur, sine scholiis et glossis, Hesiodi Scutum, Xenophontis Apologiam Socratis, Agesilaum, et Hieronem, et opuscula quaedam grammatica.

*Harl.* 5725, Porsono (Praef. ii.) "recens" vocatus, me iudice ad saec. xiv. vel initium xvti pertinens, bombycinus, continet Plutum a v. 266, *Nubes* integras, Hecubam et Orestem (*Electram*) ab eadem manu, sed diverso atramento scriptas. Scholia et glossae satis frequentes singulis paginis appictae

*Harl.* 5743, partim (ut dicitur, quamquam id me fugit) bombycinus partim chartaceus continet Sophoclis *Trachinias* et *Philoctetem*, *Alcestidis* fragmentum (a v. 1029), *Rhesum* et *Troadas*. Magni hic liber pretii habetur, (quamquam est recentissimus, saec. xvi. vix antiquior,) cum perraro nisi in optimis et antiquissimis perscriptae extent hae fabulae Euripidis; et bonas saepe praebet lectiones, a probo sine dubio et veteri fonte derivatas. Post *Troadum* v. 606, diversum atramentum, et ut alii putant, ego autem non puto, diversa incipit manus. Scriptura est valde nitida, perspicua, elegans. Desunt scholia; nec nisi rarissime glossa vel lectio diversa appingitur.

*Harl.* 6300, forma quadrata, chartaceus, saec. xiv. vel xv, continet tres fabulas, Hecubam, Orestem, *Phoenissas*, manu paullo crassiore exaratas. Desunt scholia, sed glossas habet interlineares. A fol. 89 ad finem *Orestis* diversa est manus; alia etiam in *Phoenissis*, quae nescio an bombycinis paginis scriptae sint.

*Sloane* 1774, chartaceus, forma minima, *Hippolytum* integrum exhibet. Rarae glossae, interdum etiam Latino sermone margini appictae. Videtur bonus esse hic libellus, et accurate scriptus; sed valde recens habendus est.

Oxoniae in Bibliotheca Bodleiana plures Euripidis codices et quidem satis boni asservantur, verum ad unum omnes tres istas vulgatissimas fabulas repetunt. Restat ut quam brevissime eos recenseam:—

*Auct.* T. 4, 11, forma quadrata, haud antiquus,